



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

40. Cum sicut, &c. Motus proprius Benedicti XIII. super novis  
Ordinationibus, & Reformationibus factis per Tribunal Rev. Cameræ  
Apostolicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)



A N N O  
1728.

forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis. & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse, & ceteri, illaque nemini suffragari volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum  
pro publica  
præsentium  
affixione.

Ut autem eadem præsentis literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, curiæque generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominationi, & personaliter intimatæ fuissent, utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem proprus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Et pro fide  
transumptis  
a libenda.12. Augusti  
1727.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Aug. MDCCXXVII. Pontificatus nostri anno quarto.

F. Card. Oliverius.

*Die, mense, & Anno quibus supra supra dicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas curiæ Innocentianæ ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Marchettum Apost. Cur. Jacobus Vasellus Mag. Cur.*

XL.

Motus proprius BENEDICTI XIII. super novis Ordinationibus, & Reformationibus factis per Tribunal Rev. Cameræ Apostolicæ.

Cum sicut accepimus, dilectum nostrum Camera Tribunal, quod, siue Jurisdictionis autoritate, & antiquitate, siue rerum gerendarum excellentia, siue virorum amplitudine, pluribus proinde Privilegiis, & prærogativis, à nostris Prædecessoribus condecoratorum, & inter continuos nostros veros familiares, in libris Cancellariæ, descriptorum, cæteris, in nostra curia præstat, litium promerelationibus, ac colligantium incommodis, vitandis, æquè, & celeriter administrandæ justitiæ, sedulo, ut par est, incumbens, animadverterit, quod, non obstantibus constitutionibus, ordinationibus, & reformationibus, per nostros Prædecessores, editis, ac statutis ejusdem Tribunalis, in forma specificæ confirmatis, signanter per fel. rec. Innocent. VIII. Eugen. IV. Leonem X. Pium IV. stylos, in Ordinatoriis, in eodem Tribunali, servandus, licet sanè, & salubriter institutus, malitia hominum, noxius evaserit, tam in causis, quæ, ab uno ex Clericis, quam in aliis, quæ, ab omnibus, collegialiter, decidentur: Proptereaque dilecti Filii moderni, in eadem Camera, Præsidentes Clerici, juxta illud quod scriptum est, quod, propter temporum varietates, novas licet condere sanctiones, maturo, diligenti que examine præmissis, nonnulla statuta, Capitula, & Ordinationes, condiderit, perpetuò, in Camera, valituras, quibus, pro majori substantia, nobis humiliter supplicarunt, ut Apostolicæ autoritatis confirmationem adicere dignaremur.

Nos itaque eorum supplicationibus inclinati, & ad sedulam, pro administratione justitiæ, & Patrimonii Sedis Apostolicæ curam, quæ per eos, assiduis laboribus impenditur, animum nostrum libenter intendentes: innovantes propterea, approbantes, & confirmantes omnia quæcumque, & singula indulta, Privilegia, Exemptiones, Concessiones, & gratias prædicto Tribunali, & Cleri-

cis, in ea Præsidentibus, indulta, seu indultas, per nos, prædictos, & omnes alios Prædecessores nostros, nec non per fel. rec. Calixtum III. & Xystum IV. quarum, & quorum omnium, ac singularium, & singulorum, tenores, pro hic insertis, & expressis, de verbo ad verbum, habentes, ac ex certa nostra scientia sic innovatas, & innovata, quatenus opus sit, omnino servari volumus, & mandamus: Statuta, Ordinationes & Capitula præfata, per nos visa, & diligenter inspecta, veluti laudabiliter, ad bonum publicum disposita, prout justitiæ, ac æquitati consona, motu proprio, & ex simili certa nostra scientia, autoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio, communimus, atque perpetuæ firmitatis robur adicimus. Tenor vero prædictorum Capitulorum, & Ordinationum sequitur, & est talis.

A N N O  
1728.

Primo: Ut in causis, quarum valor summam scutorum viginti quinque non excedit, & sic parvæ summæ nuncupatis, fiat, per succumbentem, propositio, in prima, omnino, Camera habili, post emanatum Judicatum, cum expressione summæ, & Judicatorum præcedentium, & Dominus Decanus non concedat superfloriam, in dictis causis, nisi ad dictam primam Cameram habilem; Clericusque, juxta solitum, deputatus cognoscat, primo loco, an recursus sit admittendus, in suspensivo, vel in devolutivo, & succumbenti non deat recursus, nisi ad Dominum Decanum, juxta ejus Decretum, idem Clericus deputatus debeat, ad ulteriora, in Causa procedere, nec ab eodem Domino Decano concedatur ulterior superfloriam, nec possit fieri nova propositio in Camera, ac citationes impunè possint sperni, reservato tantum Jure prosequendi causam, super meritis, coram eodem Clerico.

II. In Causis autem infimæ summæ, nempe quantitatem scutorum quinque non excedentibus, in quibus juxta stylos curiæ, non datur recursus, is non admittatur, nisi in devolutivo.

III. Tempore autem Feriarum generalium, & particularium, ac vacationum, succumbens teneatur instare, infra triduum, à die judicatis, coram Domino Decano, quatenus, in triduo, non addit Camera habilis, pro Deputatione Clerici, pro suo arbitrio, qui habeatur, ac si esset, juxta solitum, in plena Camera deputatus; Clerici vero deputati, in ipsis causis, procedant, in judicando, feriis quibuscumque non obstantibus.

IV. In omnibus causis, in quibus, adfint constitutiones Apostolicæ certam procedendi formam præscribentes, ut procedatur ad formam, & præscriptum earundem Constitutionum, rescribatur, cum clausula servata forma, prout hæcenus prædicatum fuit quoad Judicata Theaurarii, & Annonæ Præfecti.

V. In omnibus vero prædictis causis, aliisque exequivis, & cæteris, non admittentibus, de jure, appellationem, post admissum decretum Cameræ, teneatur succumbens, infra triduum, instare, coram Domino Ponente, pro habenda superfloriam ad effectum adeundi Cameram, & illa expirata, procedi possit, ad executionem.

VI. In iisdem causis quando, prima vice, per interpositam appellationem, devolvuntur ad Cameram, occurrendo inutilibus dilationibus, & pro minori partium dispendio, non sit opus citare coram Domino Ponente, pro concordatione dubii, super modo inhibendi, illudque transmittere Partis sed, dato assueti dubio per Dominum Ponentem, satis sit, absque alia transmissione - Dignemini - transmittere Parti intimationem, super propositione causæ, in ea Camera, quæ fuerit per Ponentem, seu per Tribunal, pro propositione, assignata.

VII. Ita pariter ut in hisce causis exequivis, ne dum inutiles, sed incongruæ dilationes, remo-

veantur,



ANN O  
1728.

veantur, ne obtinentes iudicata, imminetibus Feriis generalibus supra dictis, seu illis duranti- bus, diuturnam, & gravem pariantur moram, quoad propositionem afluere dubii, super modo inhibendi, nimirum usque ad primam Cameram, post Ferias antedictas, quae, ut experientia com- pertum est, indulget debitoribus, & appellanti- bus, superessoriam firmam, fere quinque mensium; statutum propterea est, ut dictis Feriis duranti- bus duae habeantur Camerae, una, prima die ha- bili proxima, initio mensis Augusti, altera, prima die habili, post medietatem mensis Septembris, in Tabula ceterarum Camerarum solita quotannis publicari, describen. in quibus, ultra memorialia proponi solita, in Cameris Consistorialibus, jux- ta itylum haecenus servatum, & in futurum ser- vandum, proponi etiam possint dubia praedicta super modo inhibendi, non verò alia, super dis- cussione negotii principalis.

VIII. In propositione autem dicti dubii super modo inhibendi, quatenus Clerici omnes suffra- gantes unanimiter conveniant, in resolutione causae, ad removendos inutiles redditus ad Came- ram, in rescripto apponatur clausula - *et amplius* - reservata eo tunc facultate concedendi novam audientiam ad effectum redeundi ad plenam Ca- meram, Domino Decano tantum; Atque id ipsum servetur, quando duplex resolutio emanabit, licet cum suffragiorum scissura, una tamen alterius con- firmatoria. Quod si in rescripto non apponatur dicta clausula - *amplius* - fit in facultate Domini Ponentis concedendi, per ipsum, novam audien- tiam, ad effectum redeundi ad plenam Cameram.

IX. Propositiones in Camera per succumben- tes fiant cum individua expressione numeri Judi- catorum conformium, seu difformium, nec non qualitatis materiarum, super quibus cadunt Judi- cata, & propositiones huiusmodi transmittantur parti, ac proponantur, illà citatà, aliàs non astant.

X. Pro aptiori causarum examine, eo modo, quo communicantur invicem, inter Partes, & Scri- bentes, primae Informationes, per diem, ante vo- calem Informationem, communicentur etiam in- vicem Responsiones, saltem ante meridiem diei antecedentis Camerae, & huiusmodi praetermissa communicatione, juxta testimonium Domini Ponentis non proponatur causa, & pars, quae omi- serit communicationem, teneatur rescire expensas ab alia parte, pro eadem propositione peractas.

XI. Et omnia haecenus disposita serventur tam in causis devolutis, quam devolvendis.

Datum Romae apud S. Petrum die 7. Jan. 1728.  
Fiat V. M.

XLI.

Beatificatio Servi Dei JOANNIS de PRADO Sacerdotis expressè Professi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum nuncupatorum.

## BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**C**Loriosos Christi Athlethas, qui virtute praecincti ex alto, bonum certamen certarunt, cursum consummarunt, fidemque ad extremum servantes solas suas in sanguine Agni lavare me- ruerunt, sicuti immarcescibili iustitiae corona donat in caelis aeternis, ac iustus Iudex, ita devoto cultu in terris honorari, eorumque agones, & triumphos condigna laude, & veneratione celebra- ri decet; ut de nostra solliciti, qui de sua sunt saluti securi, pia, potentique apud Patrem misericordiarum, ac Deum totius consolationis, cui die, ac nocte serviunt in templo ejus, intercessione, imbecillitati nostrae inter faculi procillas aestuan- ti, caelestis gratiae munera impetrent, quibus, & nos rectum vitae cursum tenere, & propositum

nobis aeternae Beatitudinis bravium consequi valeamus. In hanc nos curam ex debito Pastoralis officii, quod infirmitati nostrae commisit divina dignatio, propensis studiis incumbentes, flagitan- tia id ipsum Catholicorum Regum, & aliorum Christi fidelium libenter exaudimus, sicut ad glo- riam omnipotentis Dei, & exaltationem fidei Ca- tholicae, spiritualesque fidelium consolationem, atque aedificationem salubriter in Domino expe- dire arbitramur. Cum itaque mature, diligenter- que discussis, & perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Card. S. Ritibus praepositorum processibus, de hujus S. Sedis Apostolicae licentia confectis, super Martyrio, & causa Martyrii Dei Servi Jo. de Prado Sacerdotis expressè professi, ac primi Ministri Provincialis Provinciae Beticæ S. Didaci Ordinis fratrum Mi- norum S. Francisci de observantia Excalceatorum nuncupatorum, qui olim à tunc temporis existenti- bus ejusdem S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositis, ad annunciandum Christi Evan- gelium, & docendas gentes Regnorum Fezzæ, & Marochii missus, in odium Catholicæ fidei post atrocissima, & inanimissima tormenta anno M. DC. XXI. cruciatus palmam Martyrii accep- disse asserbatur, ac super signis, prodigiis, & mi- raculis, quae ad manifestandam mundo fina- lem ejus perseverantiam à Deo edita, & patra- ta fuisse dicebantur; praedicta congregatio Cardin. coram nobis constituta, auditis etiam consulto- rum suffragiis, censuerit, posse, quodcumque nobis videretur, eundem Dei Servum, donec ad actum solemnis illius Canonizationis deveniatur, publicè Beatum nuncupari cum solitis indul- tiis. Hinc est, quod nos piis, atque enixis Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hisp. Regis Catho- lici, aliorumque Principum, nec non quamplurium ex venerabilibus fratribus Archiepis. & Episcop. ac dilectis filiis Capitulis, & Canonicis Metropol. & Cathedralium Ecclesiarum Regnor. earundem Hispan. totiusque ordinis fratrum minorum ipsius S. Francisci, atque filii Joh. Diaz à conceptione illius professoris, & fratrum ejusdem ordinis Excalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum Ultramontanae familiae Procuratoris generalis, huiusque causae postulatoris supplicationibus nobis, & S. Sedi praedictae super hoc humiliter por- rectis inclinati, de memoratae congregationis Car- dinalium consilio & assensu, auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus, ut praefatus Dei Servus Johannes de Prado imposterum Beati no- mine nuncupetur, ejusque corpus, & Reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processioni- bus circumferenda) exponantur, imagines quo- que radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quot annis die felicis ejus transitus, seu alia die non impedita illam immediate sequenti recitetur officium, & missa celebretur de communi unius Martyris juxta rubricas Breviarii, & Missalis Rom. Porro recitationem Officii, & Missae celebrationem hu- jusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine Minorum S. Francisci utriusque sexus, quem idem Dei Servus suo Martyrio illustravit, in Oppido Mogrobojo Legionen. Diocesis in Hispania, in quo ortum habuit, ac etiam in Regno Marochitano, ubi Martyrium passus est, ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus tan- Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canoni- cas tenentur, & quantum ad missas atinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus factum peragetur, consuientibus. Praeterea primo dumtaxat anno à datis huius litteris, & quoad Indias à die quo eadem litterae illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Ordinis, Oppidi, & Regni Marochii praefatorum so- lemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub Ritu duplici majori, die ab Ordina- riis respectivè constituta, postquam tamen in Ba- silica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fu- erint eadem solemnia, pro qua re diem xxiv. currentis Mensis Maii, ut pote illius obitus, & Marty- rii anniversariam assignamus, pariter celebrandi facimus

ANN O  
1728.